

facta, huc quoque spectat). *Festuca rubra*, quæ in umbrosis pallida, in minus umbrosis glaucescens, in aprico rubra evasit. *Arundo sylvatica*, locis apricis violacea, umbrosis glaucescens ( $\beta$ . *chalybea* W g) m). Huc citari possunt, *Chenopodium album*, var. *virescens*, locis occultis pinguidis; *Angelica Archangelica*, flor. albescentib. locis umbrosissimis, Lapponice *ridals* dictis, (Læst. de Agricultura Lappon.) *Luzula campestris*  $\beta$ . *pallescens* locis umbrosis, unde tenuis quoque facta. *Epilobium palustre* var. flor. albis, in umbra. *Saxifraga Cotyledon*  $\alpha$ . flor. alb. præsertim in rupibus umbrosis ( $\beta$ . foliis glaucis, floribusque purpureo-maculatis in summo alpium jugo locis apricis, nisi sequentis §.); *Saxifraga aizoides* flor. luteis in umbrosis l. occultis; var. flor. aurantiis in aprico. *Dianthus deltoides* viridis in umbra;  $\beta$ . *glaucus*, locis apertis, apricis. *Ranunculus acris*, qui locis pinguidis atque occultis ad radices montium caule plusquam 3-pedali ramosissimo, foliisque maximis luxuriat, floribus sæpe albescentibus legitur (annon. *Ranuncul. aconitifolius* huc quoque spectat?). *Pedicularis palustris*, var. flor. albo, in umbrosis occultis. *Rubus saxatilis*  $\beta$ . *castoreus* flor. albescentibus locis aquosis umbrosis.

m) Mea specimina *A. chalybeæ*, (V. A. H. 1825) e loc. umbros. erant, et color glaucus, forte deterior violaceo, id est minore lucis portione contentus.